UNIVERSITAS GALLICA. — ACADEMIA PARISIENSIS.
LITTERARUM FACULTAS.

QUÆSTIONEM

CUR PLATO ARISTOPHANEM IN CONVIVIUM INDUXERIT


TENTAVIT

CAROLUS LENORMANT,

PARISINUS,

LITTERARUM LICENTIATUS.

Ne voir dans tout cela qu'un pur jeu de l'imagination....., c'est nier les traditions antiques qui ont servi de fondement en Grèce, à l'art comme à la philosophie, à l'imagination comme à la raison.
COUSIN, *Trad. de Platon, tom. VI, p.* 435.



PARISIIS,
EXCUDEBANT FIRMIN DIDOT FRATRES,
VIA JACOB, N° 56.

MDCCCXXXVIII.

IOSEPHO . VICTORI . LE CLERC .

FACVLTATIS . LITTERARVM . IN . ACADEMIA . PARISIENSI . DECANO .

HENRICO . PATIN .

LATINÆ . POESEOS . IN . EADEM . FACVLTATE . LECTORI .

CASIMIRO . IOANNI . IOSEPHO . GOBERT .

RHETORICES . IN . HENRICI . QVARTI . COLLEGIO . PROFESSORI .

VIRIS . HVMANISSIMIS . DOCTISSIMIS .

OPTIMIS .

QUOD . EORVM . DVCTV . ET . AVSPICIO .

STVDIVM . ANTIQVITATIS . INIERIT .

PARTI . IAM . DVDVM . BENEFICII .

NON . IMMEMOR .

AUCTOR . D . D . D .



QUÆSTIO

CUR PLATO ARISTOPHANEM IN CONVIVIUM INDUXERIT.

I. Quid in hac dissertatione consilii habeam, paucis expediam. Quippe juvat et legitimam orationis, quæ sub Aristophanis nomine in Platonis Convivio proponitur, indolem investigare, et philosophi mentem explorare, cur hominem Socrati infensissimum loquentem finxerit in dialogo, cujus primariæ partes Socratem spectant; denique cur ridiculam prorsus, et, ut Aristophanes ipse profitetur, καταγέλαστον (1) narrationem in *deipnosophisticam* disputationem induxerit.

(1) P. 189 B. Ὡς ἐγὼ φοβοῦμαι περὶ τῶν μελλόντων ῥηθήσεσθαι, οὔ τι, μὴ γελοῖα εἴπω, τοῦτο μὲν γὰρ ἂν κέρδος εἴη καὶ τῆς ἡμετέρας Μούσης ἐπιχώριον, ἀλλὰ μὴ καταγέλαστα.

Has ut enodemus difficultates, operæ pretium est duplicem illum (quem jam Schleiermacherus (1) plane intellexit), Symposii scopum referre, quum vel magistri, vel suam de summo amore opinionem enarrare, magistrum etiam adversus obtrectationes summis laudibus exornare discipulus summopere contendat. Tertio addam (quod æque patet) demonstrandi consilium, quantum familiaris illa Socratis et rationi plane consentanea disserendi methodus, sophistarum et theologorum, quos usque eo sapientiæ magistros Græcia noverat, disciplinam superet.

II. Nil tamen in his explorandis proficiemus, nisi de auctore ipso Symposii statuerimus, et ejus, ante omnia, quamobrem philosophia, ab aliis Socratis discipulis et a Socrate ipso discrepat, decreverimus. Multi uter Socratem melius, aut Xenophon, aut Plato ille noster, intellexerit, dijudicare, sed frustra, ut opinor, tentaverunt. Plurimis placuit Xenophontem genuinum orationis Socraticæ interpretem statuere : quod ego, nil inficias eo. Quippe qualescumque σημειώσεις illæ (2), quas Xenophon adhibuit, si non omnino recentiorum *stenographiam* referunt, ad artis saltem hujus propositum accedunt. Sed Socratem, ironicum illum, et, ut de seipso profitebatur, potius alienæ cogitationis μαιευτικὸν, quam definitæ proprium doctrinæ assertorem, quis e nudo verborum contextu intellexisse contendat? Non quod perspicuum adversus consulto obscuros, philosophum adversus sophistas, rerum magistrum, adversus verborum magistros, sese objicere Socrates abnuat : sed intelligentibus nobis quid novi Socrates in mun-

(1) *Einleitung zu Platons Gastmahl,* in Platons Werke, II Theile, 2 Band, p. 357 seqq.

(2) Diog. Laert. II, 48. Καὶ πρῶτος (Ξενοφῶν) ὑποσημειωσάμενος τὰ λεγόμενα, εἰς ἀνθρώπους ἤγαγεν, ἀπομνημονεύματα ἐπιγράψας.

dum intulerit, quanto studio patriæ religionis infandum *pantheismum* impugnaverit, quam cito vigentium legum defensores periculum e Socrate manans præsenserint, nil non absurdum et in Socrate Platonis et in Socratis illius criminatione videretur, si nulla habita Græcæ calliditatis, quin imo assuetæ hominis se ipsum tuentis diffidentiæ ratione, Socratis verba legerentur.

Nunc, quod ad Socratis discipulos attinet, non omnes eadem de magistro sensisse constat. Xenophon, ut vir πρακτικὸς, propius quam Plato ad Socratem accedit : Xenophonti Socrates omnibus philosophis præstat, quod primus vitæ communi informandæ philosophiam addixerit : Socrates εἰρωνικῶς, in extremo spiritu, gallum Æsculapio promissum memorans, nil non, ut virum moratum decet, de patria religione sentit : quippe, quoad leges et decorem civitatis spectat, nil in religione temere mutandum : de diis ipsis quid æstimandum, in Eleusinio docetur. Inde facile deprehendes, cur in defensione Socratis quæ in Libro Memorabilium continetur, pauca tantum et impedita perhibeantur de theologia Socratis, multa de constantia qua ritus patrios servaverit (1).

Socratem ergo non sine causa pictoribus illis contuleris, qui præcepta potius ad naturæ normam, quam ad peculiarem artis modum informantes, discipulos educunt mirum in modum inter se discrepantes. E cœtu enim ex quo Antisthenes et Cynici prodierunt, Plato, elegantiæ omnigenæ patronus, emicuit. Pro mira sua sensus integritate, Socrates Epicureos simul et Stoam sapit. Cavendum, ne, Platonis temeritatem incusantes, quando sub persona Socratis opiniones omnino suas videtur protulisse, magistrum ipsum defraude-

(1) *Memorab.* I, 1, 1.

mus. In Platonis enim scriptis, Socratem constat de religione libere parum, si verba, audacter autem, si mentem altius interrogaveris, disseruisse.

Novas sane Plato doctrinæ Socraticæ opiniones adjecit: quid, si doctrinam ejus penitissimam bona fide protulisse credidit? Nonne Xenophon ipse, e præjudicata opinione, aliquid Socrati detrahere potuit? Inde igitur, quod Socrates, teste Xenophonte, utilius humano generi de moribus quam de cosmogonia disserendum censuerit, nil crediderim divinum illud ingenium de origine rerum existimasse, præcipue quum Timæum habeamus, in quo Plato Socratem induxit, Pythagoreorum opiniones de mundo studiose inquirentem! Quod sane temerarie nimis Plato noster effingeret, si nil unquam de tali doctrina Socrates curavisset.

Anyto igitur ipsi facile assentior, Socratem incusanti, quod novas de natura deorum opiniones voluisset inferre: Xenophontem rejicio, pro Socratis orthodoxia honeste magis quam ingenue pugnantem: sed Platonem adversus Anytum sequor, quum e libris discipuli eruerim, Socratem existimavisse, non rejiciendos omnino patriæ deos, sed a materiæ fæce liberandos et ad cogitationem summi boni et pulcri evehendos. Hæc est illa theologia Platonis, quam, cum Proclo etiam, admittere malim, quam recentiores imitari, ea superbe fastidientes et negantes quæ nec explorare possunt nec volunt.

III. Platone cum theologo Socrates ipse theologus convenire nobis videtur. Hoc uno magister et discipulus dissociandi, quod hic religionis et philosophiæ societatem solummodo præsenserit, ille autem absolvere conatus sit. Qui si de religione consentiunt, quid ii de liberalibus artibus, religionis apud Græcos præsidio et decore? Artes illas Socrates

in juventute, sculptor non ignobilis, excoluerat : Platonem Homero aliisque poetis imbutum quis ignoravit ? Quis etiam e poetarum numero, quos Plato assidue versavit, Aristophanem audeat eximere, quum adhuc observantiæ qua Plato Aristophanem prosequebatur testimonium habeamus in epigrammate quod philosophus scripsit, Olympiodorus retulit ?

> Αἱ Χάριτες τέμενός τι λαβεῖν, ὅπερ οὐχὶ πεσεῖται,
> ζητοῦσαι, ψυχὴν εὗρον Ἀριστοφάνους.

Quippe Platoni inprimis adridebat summa illa venustas, quæ Aristophanem inter omnes commendat, et nos eum in nobilissimum gradum referre jubet, repugnante nequicquam Christiano sensu, et obscœnissimum poetam adspernante ? Si mythologum igitur, si politicum et sophistam in Convivium Plato suum induxit de amore disserentes, quid mirum, si festivis illis salibus, quibus Attica comœdia præstitit, nullam aliam ob causam, ut multi crediderunt, quam pro mitiganda cæterarum orationum severitate et animos remittendi gratia, locum impertiverit ?

Aristophanem igitur ut jocorum eximium repertorem Plato inter Agathonis convivas retulit : retulit etiam eum in illum cœtum ut Socratis inimicum et Nubium auctorem. Platonem Aristophani debitas laudes tribuisse, fabulas ejus ut dialogorum parerga studiose versavisse, nil obstat. Poetam Socrates ipse in Convivio ab homine sejungit, quum assiduum prædicat Aristophanis cum Venere et Baccho commercium (1). Quid

(1) P. 177. E.... οὐδὲ μὴν Ἀριστοφάνης, ᾧ περὶ Διόνυσον καὶ Ἀφροδίτην πᾶσα ἡ διατριβή ..... quæ non sine ironia quadam dicuntur. Nonne Aristophanem infra ut γαστρίμαργον depictum habemus, ubi legimus : ... τυχεῖν δέ αὐτῷ τινὰ ἢ ὑπὸ πλησμονῆς ἢ ὑπό τινος ἄλλου λύγγα ἐπιπεπτωκυῖαν καὶ οὐχ οἷόν τε εἶναι εἰπεῖν. (p. 185. C.)?

autem de panegyrico Socratis, quem a Platone in hoc dialogo susceptum fuisse constat, sentiendum nobis foret, si inter amicos tantum et familiares Socratis res acta esset? Causam autem habes, cur occasio dialogi tam solemniter exponatur. Aguntur Dionysiaca, in quibus Agathon, lauream poetæ tragici consecutus, epinicia cum turba concelebrat, et postero die comissationem decernit domi frequentissimam. Ab epiniciis Socrates, quamquam vocatus, abfuit; ad convivium pergit, ne Agathonem iratum habeat, lotus quidem et probe calceatus, specie comitatis et ut pulcer pulcrum adeat (1), revera autem ut officium et nimiam sedulitatem perspiciamus, a consueto inter amicos et familiares habitu abhorrentem. In itinere Aristodemum offendit, virum ipsi prorsus addictum, quem secum ad Agathonis ducit, quasi solus turbam adire convivarum reformidet. Quinimo inter viam, totum in se animum Socrates retrahit, et subsistentem

Aristophanis commentum Socrates oblique carpit : ... καὶ λέγεται μέν γέ τις, ἔφη, λόγος, ὡς οἳ ἂν τὸ ἥμισυ ἑαυτῶν ζητῶσιν, οὗτοι ἐρῶσιν· ὁ δ' ἐμὸς λόγος οὐθ' ἡμίσεός φησιν εἶναι τὸν ἔρωτα οὐθ' ὅλου ..... (p. 205. D.) Acrius postea Aristophanes respondisset, sed ab Alcibiade in cœnaculum irrumpente intercipitur : ... Τόν τε Ἀριστοφάνη λέγειν τι ἐπιχειρεῖν, ὅτι ἐμνήσθη αὐτοῦ λέγων ὁ Σωκράτης περὶ τοῦ λόγου κ. τ. λ. (p. 212. C.). Alcibiades ipse, Socratis defensor, ad Nubium calumnias apertissime alludit : Ἔπειτα ἔμοιγε ἐδόκει, ὦ Ἀριστόφανες — τὸ σὸν δὴ τοῦτο — καὶ ἐκεῖ διαπορεύεσθαι ὥς περ καὶ ἐνθάδε, βρενθυόμενος καὶ τὠφθαλμὼ παραβάλλων..... Hic enim Alcibiades Socratis in Delii fuga tranquillitatem nobilemque ferociam depingit. Locus exstat in Nub. v. 361.

Ὅτι βρενθύει τ' ἐν ταῖσιν ὁδοῖς καὶ τὠφθαλμὼ παραβάλλεις.

Cæterum ad finem convivii, Aristophanes, quasi Socratis virtute et eloquentia victus, cum eo pacem juravisse videtur : ... Ἀγάθωνα δὲ καὶ Ἀριστοφάνη καὶ Σωκράτη ἔτι μόνους ἐγρηγορέναι, καὶ πίνειν ἐκ φιάλης μεγάλης ἐπὶ δεξιά. (p. 223. C.)

(1) P. 174. Χθὲς γὰρ αὐτὸν διέφυγον τοῖς ἐπινικίοις, φοβηθεὶς τὸν ὄχλον· ὡμολόγησα δ' εἰς τήμερον παρέσεσθαι· ταῦτα δὴ ἐκαλλωπισάμην, ἵνα καλὸς παρὰ καλὸν ἴω

amicum pergere jubet, qui solus cœnaculum ingreditur, Socrate in prothyro viciuæ domus aliquantisper cessante. Quid illa mora et cunctatio, nisi Socratem intelligimus, præsentiam Aristophanis ægre tulisse, et dudum in animi penetralibus secum consuluisse, utrum se periculo invidiosi colloquii, necne, committeret (1)? Hoc saltem, quum nihil temere Plato in narrationibus induxerit, mirum videretur, causam longæ illius meditationis omnino ignorari, quæ profecto nullo modo ad dialogi propositum attinet, Pausania quidem, non Socrate, de amore dissertationem proponente.

IV. Sed neque hæc, neque illa prius allata, rei dilucidandæ causæ suppetunt. Abjicienda autem eorum opinio est, qui Platonem in dialogis, aut somniantem, aut furentem, nugantem etiam sibi fingunt. Qui propius totam Symposii complexionem inspexerit, is nihil non ad finem operis stricte coaptatum deprehendet. Socrati enim et Platoni de civitate consulentibus, maximum profecto impedimentum aderat impetus ille in Venerem, cui neque in Christiana societate locum plane definitum impertire possumus, magis etiam animi motibus inter Græcos, ad omnia voluptatis genera pronos, adversus severiorem disciplinam reluctantibus. Quod libidini frænum imponendum, quæ amori permittenda remissio, Plato, præeunte Socrate, statuere conabatur, haud perfecte quidem, si leges ethicæ absolutas, optime autem, si statum publicæ et privatæ consuetudinis apud Græcos respexeris. Nihil Platoni hac quæstione antiquius, nihil plenius angustiis. Quippe cum in Phædro suam de amore doctrinam efferre cœpisset, et honestam quamdam amoris hujus spe-

(1) In Menone etiam Anytum ipsum reperimus, de cujus cum Socrate colloquio multa, quibus spatium deest, animadvertenda profiteor.

ciem defendere conatus esset, non prius restitit, quin in Lyside (qui cum Phædro Platonis juvenilibus accensetur) calumniatores suos quopiam modo redarguerit, neminem hucusque probans sanam de amicitia etiam opinionem protulisse. In Symposio demum prolixius illud Socratici, vel, ut recentiores existimaverunt, Platonici amoris encomium explicuit. Convivii habes materiam et finem : pro quibus Aristophanis oratio partes quasdam sustinere debet.

A cæteris orationibus igitur, Aristophanicæ orationis consilium eruere conemur : quid Phædrus sibi velit, in amoris encomio rursus, nec sine probabili causa, inductus? quid Pausanias, quid Eryximachus, Aristophanem nostrum disserendo præeuntes? Ad ea quæ jam in Phædro de divina Amoris origine Socrates proposuerat, Phædrus in Symposio, prioris παιδείας non immemor, revertitur. Quis non, inquit, colere deum impense studeat, quem antiquissimarum religionum consensus in editissimum solium evexit? sed nec Amorem istum vulgarem, ex quo prolem suscipimus, vir religiosus ille inprimis commendabit. Meminerit, quisquis ad hanc turpiorem Græcorum doctrinam animum nondum applicuit, quæ mythographi (1), præeuntibus sane poetis (2), de Thamyri, de Orpheo, sacrosancti puerorum amoris inventoribus, retulerunt : adeat etiam, reconditam illam et implicitam, sed minime castam, apud Clementem Alexandrinum (3) et alios (4) de Prosymno et Dionyso, ἐρωμένῳ hoc, ἐραστῇ illo, narrationem, et ea melius fortasse intelliget, quæ hic nec

(1) Apollod., I, 3, 3; Hyg., *Poet. Astron.*, II, 7.

(2) Ovid., *Met.* X, 83.

(3) *Protreptr.*, p. 30, Potter.

(4) Schol. ad Lucian., *de Dea Syr.*, 16. Hic Polyhymnus vocatur. Cf. Steph. *Thes.* v. φαλλὸς, ed. Valpy.

vaeat evolvere, nec decet. Phædrus autem a vera Socratis sententia discedere videtur, eo quod nihil, in humana societate, παιδεραστίᾳ qualibet, nullo rerum et hominum habito discrimine, divinius, nihil reipublicæ promovendæ aut tuendæ magis accommodatum censet. Vix Alcestis, castissimæ uxoris, pro marito diis Averruncis devotio, ad devotionem pueri in deliciis habiti pro amante juvene accedit. Dii piam Alcestin ex inferis retraxerunt : Achillem, amantis Patrocli ulciscendi gratia, morti se obnoxium præbentem in Beatorum insulas reposuerunt (1). Hæc Phædrus, quem nec Solon, testibus ipsius γνώμαις (2), refellisset.

Absit tamen a societate Græcorum infensa illa criminatio, ne quempiam inter eos turpissimæ libidinis pudorem extitisse credamus. Quin imo Pausaniæ, qui Phædrum excipit, oratio crescentem publicæ verecundiæ sensum in Atheniensium civitate apertissime monstrat. Cui jam emergenti opprobrio obvias ire Pausanias sibi fingit, quum inter duos Amores, duarum Venerum filios, alterius cœlestis, alterius popularis et vulgivagæ, discrimen constituere conatur. Sed quantum distet a Socratica de duobus amoribus disciplina, inde facile percipies, quod amantis et amati κοινωνίαν e medio tollere non audeat, vulgivagi Amoris indolem, a sua, quam a mare et fœmina traxit, origine deducat, quum amor ille pari studio atque impetu in pueros mulieresque prorumpat, et quod e mythologiæ fontibus illud Veneris Cœlestis privilegium eruat, sine matre creatam, Amorem tulisse, qui num-

(1) P. 180. B. Διὰ ταῦτα καὶ τὸν Ἀχιλλέα τῆς Ἀλκήστιδος μᾶλλον ἐτίμησαν, εἰς μακάρων νήσους ἀποπέμψαντες.

(2) IV. Ἔς θ' ἥβης ἐρατοῖσιν ἐπ' ἄνθεσι παιδοφιλήσεις,

. . . .

quam fœmineum genus, sed masculum tantum invadat (1). Prælectis eis, nemini sane mirum videbitur, Pausaniam exinde παιδεραστίας opprobrium inter tyrannidis piacula et barbarorum errores referre, quasi in turpi viri qualiscumque et pueri commercio Harmodii et Aristogitonis animum Βασιλεὺς ὁ μέγας pertimescere debeat (2)! Cæterum nihil ad viriles sensus inspirandos παιδεραστίᾳ magis idoneum, dummodo amator et amasius virtuti simul, ut et amori, studeant!

Hucusque demum nihil legibus amoris in civitate recte constituendis profuit, ne medicorum scientia quidem et aliæ artes, quas experientia docuit, et quibus, jam vivente Platone, Græcia præcelluit. Vere Socraticum ergo Platonis consilium videbitur, qui partes physiologiæ (quæ jam illo tempore omnia de omnibus intellexisse credebat) tuendas Eryximacho dedit, medico ætatis, quæ Hippocratem tulit, optimo, et qui, Hippia Eleo docente (3), nil optabilius, et ad animi libidinem compescendam, nec non ad vitam humanam probe dirigendam aptius, summa rerum naturalium peritia, ducebat.

V. Finem hunc, quem sibi Plato proposuerat, qui veterem, in ore Phædri, mythologiam, qui, Pausania interpre-

(1) P. 181. A. Ὁ μὲν οὖν τῆς Πανδήμου Ἀφροδίτης ὡς ἀληθῶς πάνδημός ἐστι καὶ ἐξεργάζεται ὅ τι ἂν τύχῃ· καὶ οὗτός ἐστιν, ὃν οἱ φαῦλοι τῶν ἀνθρώπων ἐρῶσιν. Ἐρῶσι δὲ οἱ τοιοῦτοι πρῶτον μὲν οὐχ ἧττον γυναικῶν ἢ παίδων.....

Ὁ δὲ τῆς Οὐρανίας πρῶτον μὲν οὐ μετεχούσης θήλεος, ἀλλ' ἄρρενος μόνον, καὶ ἔστιν οὗτος ὁ τῶν παίδων ἔρως..... ὅθεν δὴ ἐπὶ τὸ ἄρρεν τρέπονται οἱ ἐκ τούτου τοῦ Ἔρωτος ἔπιπνοι —

(2) P. 182. C. Τῆς δὲ Ἰωνίας καὶ ἄλλοθι πολλαχοῦ αἰσχρὸν νενόμισται, ὅσοι ὑπὸ βαρβάροις οἰκοῦσι. Τοῖς γὰρ βαρβάροις διὰ τὰς τυραννίδας αἰσχρὸν τοῦτό γε, καὶ ἥ γε φιλοσοφία καὶ ἡ φιλογυμναστία. — Ἔργῳ δὲ τοῦτο ἔμαθον καὶ οἱ ἐνθάδε τύραννοι· ὁ γὰρ Ἀριστογείτονος ἔρως καὶ ἡ Ἁρμοδίου φιλία βέβαιος γενομένη κατέλυσεν αὐτῶν τὴν ἀρχήν.

(3) Cf. Protagor. p. 315. C.

tante, politicam, physiologiam, Eryximacho loquente, vanam Rhetorum, inducto deinde in colloquium Agathone, subtilitatem fefellerat, annon religio ipsa assequi potuit? Quippe disciplinam a sacerdotibus prolatam societati Græcorum non defuisse, (quod demonstrandum nonnulli putant) prolixis comprobare piget argumentis. Mysteriorum enim institutores rudes etiamtum Græcorum animos ad meliorem vitam redegisse, antiquitas universa testatur. Qua ratione præcepta illa exhibita fuerint, quid hierophantæ docere, initiati ediscere debuerint, inquirere supersedeo. Placuit nuper doctissimo viro nil ratum, nil probabile in mysteriis invenire, præter vanam et confusam superstitionem. Verum enimvero, si argumenta, quibus opinio Lobeckii (1) nititur, perpendas, quamquam antiquitas pauca nimirum, impedita etiam, de mysteriorum doctrina protulerit, nihil desperatum adhuc judices, nihil non expectandum a sedula monumentorum artis et litterarum collatione, a qua Lobeckius prorsus abfuit. Quinimo, si certam hanc, quam profiteor, animi confidentiam frigidiores animi redarguunt, si alacris hæc expectatio in cassum ruit, omissa doctrinæ mysteriorum penitioris inquisitione, quot et quanta supersunt adhuc quæ ad mysticam originem spectant, e quibus res scenicas eximere quis audeat, quis saltem in dubium vocare magnam fuisse religionis ludorumque theatralium conjunctionem, quum spectacula sacris adnumerantur, inque argumentis fabularum, et in chori partibus, omnia ad religionem referri possunt?

Quæ si paulatim a primo rei institutæ consilio recedunt, si nihil divinum, post Euripidem et ingruente Menandro, præter nomen et indictum diem in scenicis rebus superest,

(1) *Aglaophamus*, Tom. I, p. 43 et seq.

nemini tamen primariam instituti rationem in dubium vocare fas erit. Plura etiam, et apud Æschylum, et in antiquissimæ comœdiæ fragmentis remanserunt, quæ remotæ ætatis animum produnt, Diis ipsis præcipuas etiamtum partes in fabulis agentibus. Quod si Dii immortales, in his etiam commentis, nec invidiam nec irrisionem effugiunt, hæc non popularis, ut plurimi putant, religio Græcorum induxit : qua sublata, tibi solum in mysteriorum doctrinam, invito etiam, perfugium.

Hic autem si audacter substiteris, omnia plana et congrua reperies. Mystæ διὰ μύθους tantum loquebantur : quid autem theatrum protulit, nisi μύθους et mythologica argumenta? Societas humana apud Græcos primum mysteriorum disciplinæ paruit : sed quid ad mysteriorum doctrinam animis penitus infundendam aptius, quam rei scenicæ oblectamentum, dialogi vim et calliditatem, πάθους impetum, chori numeros dixeris? Summum illud theatri decus, quod belli Persici ætate præcipue floruit, Socrates et Plato jamdiu labans et pronum ad ruinam invenerunt. Jam aliunde, quam in poetarum γνώμαις, quid de bono, quid de malo judicandum quærebatur. Philosophorum et rhetorum scholæ patebant; studium libertatis, primo tantum reipublicæ intentum, religionem etiam et animorum penetralia invaserat. Pulpitum, religione prætermissa, aut philosophabatur, aut nugabatur, aut politicas res agebat. De mysticæ disciplinæ imperio demum res erat. Ii tamen, qui mysteriis, consuetudine vel opinione, addicti remanebant, periculum repellere conati sunt. Hinc solemnis illa et in historia generis humani præcipua dimicatio inter philosophiæ magistrum et novæ legis interpretem Socratem, et obsoletæ disciplinæ assertores, exstitit; in qua Aristophanes, ut scenicus homo et mysticæ institu-

tionis defensor, partes infensissimas egit, Socratem, in Nubibus, invidiæ et irrisioni publice proposuit, viam Anyti calumniis provide stravit.

VI. Sed quod ad antiquæ religionis labem tollendam attinet, aliquid profecto inter Socratem et Platonem, magistrum et discipulum, discrimen sistere licet. De fœdo mysticæ religionis fundamento, idem ambo senserunt : nil aliud quidem, quam quod postea Christianæ fidei propugnatores confidentius abominati sunt. Sed Socrates sæpius, ut apud Xenophontem, non sine causa, reperitur, religionem aut leviter irridebat, aut plane prætermittebat ; satis erat viro πρακτικωτάτῳ animos a studiis inutilibus aut periculosis absterruisse, et ad vitæ communis emendationem, sublato metu, quem postea Lucretius *religionem* potius vocavit, deflexisse. Socrates, uno verbo, oppugnationi tantum incubuit : Plato autem, quid antiquæ religioni subrogandum, exquisivit. Hic enm summopere ancipitem invenimus, et quem Janum bifrontem merito dixeris. Quid Aristonis filius in Politia de poetis omnino sentiat, quos floribus onustos a civitate sua propellit, multi se non intellexisse profitentur ; eadem et pariter ambigua de religione in Cratylo legeremus, nisi Socrates jam cicutam ebibisset. Cæcas et fortuitas naturæ vires, sub nomine Jovis adoratas, Plato respuit : num eodem modo Jovem respuisset, aut sub nomine Jovis Deorum providentiam, ab Homero adumbratam, a Phidia effictam, a Cleanthe perfectam ? Nil temere Platoni de figuris, de cæremoniis, de nominibus immutandum : satis erit vera pro falsis, de natura deorum protulisse. Tantum abest ut doctrinam moralem per figuras et fabulas expressam repellat, ut præcipuam in operibus suis altiora docendi methodum per mythologicas enarrationes adhibeat : in his autem et verecundia et delec-

tus habendi ; ea solum inferre deos optimos et sapientissimos decet, quæ pravos animi sensus, immodestiam, intemperantiam, ludibrium nuspiam admittunt. Si deorum et Homeri ipsius indignum Platoni visum est, ridiculam prorsus Vulcani figuram in Olympum inductam fuisse, cœlicolis titubante gradu propinantis et ἄσβεστον γέλωτα provocantis, quid de spectaculis sensisse illum judicabimus, ubi deos ipsos, quos summis honoribus colebant, irrisioni summæ tradebant? Quod per Ranas Aristophanis æstimare licet, in quibus Bacchum ipsum, cujus solemnissimum festum agebatur, ridiculissime depictum obstupescimus. Ea tamen et talia multa intelligimus etiam, si nihil aliud Aristophani et mysteriorum interpretibus dii sunt, quam signa vigentis in natura, casualis, obscuræ et ideo magis ac magis reformidatæ potentiæ: ut inconcinna autem et absurda plane respueremus, si eadem et in Eleusinio et in schola Platonis de providentia Deorum opinio stetisset.

Sed hic etiam, et quoad comice μυθολογούμενα spectat, Platonem secum ipso pugnantem reperimus. Quum, in Politia, Homerum sensus heroibus indignos profitentem arrogantius increpat, quis non eum simul deprehendit iisdem delectatum rebus quas redarguit? Poesim amplectitur et fovet; ea respuit quæ poesim faciunt. Sic de comicis profecto sensit, quos præcipuos post Homerum vitæ comites et artis exempla habuit, non Aristophanem solum, sed Sophronem, cujus Mimi sub pulvinari demortui philosophi reperti sunt (1), sed Epicharmum, comœdiæ inventorem, a quo multas et præclaras sententias Platonem mutuasse ferunt (2).

(1) Diog. Laert. III, 9, et alii quos retulit J.-V. Le Clerc, *Pensées de Platon*, p. 452.

(2) Diog. Laert. *ibid.* Πολλὰ δὲ καὶ παρ' Ἐπιχάρμου τοῦ κωμῳδοποιοῦ προσωφέ-

VII. Hoc ipsum Platonis erga Hieronis hospitem studium, mirum in modum sensum Aristophaniceæ in Convivio narrationis illustrare mihi videtur. Si de rerum enim sacrarum contributione in comœdia Attica quæritur, omnia implexa et sæpenumero contraria apud Aristophanem invenies. Jam de republica magis, quam de diis ipsis agitur: jam censura morum invehitur: in comœdiis quibusdam, in Equitibus præsertim, quid religionem redoleat, nescio. Aliud de fragmentis Epicharmi profitendum, in quibus eadem argumenta reperies, quæ tragœdia amplecti solet. Quibus fretus, pauca de vera apud Græcos origine comœdiæ disseram, quæ ad elucidandam hancce materiam idonea videntur, et quæ a probatissimis disquisitionibus (1) abesse valde miror.

Nihil enim in veteri comœdia plerumque quæritur, nisi censura τῶν πολιτικῶν; hæc Horatius, hæc recentiores eruditi, fere omnes. Sed quid de Epicharmo opinari licebit, cujus et *Amycus*, et *Musæ*, et *Vulcanus*, et *Hebes Nuptiæ*, et *Sirenes*, et *Troes*, et *Philoctetes* commemorantur? Comœdia hæc omnia, an δρᾶμα σατυρικόν? σατυρικὸν profecto, quum etiam in catalogo *Cyclopa* reperiamus, eodem silicet, quod tractavit Euripides argumento, in solo dramate satyrico, quod invida ætas non abstulit! Quid, si comœdiam in primario statu ni-

ληται (ὁ Πλάτων), τὰ πλεῖστα μεταγράψας...... quæ vir doctus, J.-V. Le Clerc, *l. l.*, intelligit de morali Pythagoræ philosophia, quam Epicharmus, Iamblico teste (*in vita Pythag.* xxxi), in carmen redegerat. Sed versus quos Diogenes ex Alcimi libro eruit, aperte dialogi speciem præ se ferunt, unde, cum nuperrimo Epicharmi fragmentorum editore, putes, eos ad comœdias quasdam, *Ulyssem naufragum*, aut alias, pertinuisse. Cf. Kruseman, *Epicharmi fragm.*, p. 75 et seq.

(1) Inter quas elegantissimum viri humanissimi, et quem inter amicos summopere colo, Caroli Magnin, *de Originibus artis scenicæ apud recentiores* librum, in primum locum reponendum esse confidenter censeo.

hil aut paulum a satyra discrepavisse profitemur : deos prius quam homines irrisos fuisse; comœdiam, ut nomen ipsum indicit, nihil, in incunabulis, nisi Dionysiacam cantionem protulisse; Epicharmum, eo quod quasdam vitæ communis censuras, sub Deorum aut Heroum specie, inseruerat, ut novi cujusdam generis auctorem prædicatum fuisse; Thaliam sic a temulentia et tripudio ad χοροδιδασκαλίας transivisse ?

Multa saltem et præclara artis monumenta in quibus omnipotentes Deos, Jovem et Mercurium, Apollinem, Dianam et alios sub persona mimorum obscœnissima deturpatos deprehendimus (1), sic ad parallelum poeseos genus revocare licebit, quod sub satyræ nomine arcte nimis constrictum existimo, quum nec in omnibus argumentis, ut in Euripidis Cyclope, chorus satyrorum adhibitus fuisse videatur. Sacram igitur originem figmentis ejusmodi adsignandam esse plane profiteor, nisi lubeat cum plurimis in hoc nimiam liberi sensus intemperantiam agnoscere, quamquam majestas reformidata Deorum prima ad turpes et ridiculas imagines detracta fuerit, et, studio religionis apud Græcos summopere adhuc vigente, studium parodiæ istius præcipue floruerit !

VIII. Quæ si melius intelligere volumus, ad verum religionis Græcorum fontem oculos convertamus, ad Ægyptum inprimis; non quod exempla religionis Ægyptiorum ad Græcos absque ulla mutatione fluxisse omnino constet, sed quia nuspiam dogmatum, quæ Oriens universus amplexus est, majorem quam in Ægypto et tenorem et copiam invenimus. Cambysen, Persarum regem, in templum Vulcani Memphi-

(1) Vide ad hujusce diatribæ frontem, lepidissimam Apollinis Pythii, et Chironis cæcutientis tabulam, quæ nuper in ditissimo viri inprimis φιλοκάλου, E. Durand cimelio conspiciebatur. Monumentum comicæ picturæ præcipuum in opellæ hujus epilogo breviter illustravi.

ticum ingressum, statuam Dei ridiculam prorsus lustravisse, et risus plane impotentem, invisissimum sese sacerdotibus Ægyptiis præbuisse Herodotus perhibet (1). Vulcani figuræ, quæ sæpius monumenta Ægyptiorum referunt, duæ sunt, una Dei jam ad virilem ætatem provecti, erecti vel sedentis, candidissimis fasciis involuti, abraso capite, nova scilicet et minime consueta specie, sed quæ non risum tantopere commoveat (2). Alterum Vulcani pueri signum videre est, fronte depressa, immani capite, brevi corpore, cruribus distortis (3): hunc sane Græcus homo qualiscumque, cum Cambyse, cachinnis excepisset (4). Quid Ægyptii, qui summo cultu homunculum prosequebantur? Quid primus ille, aut Ægyptius, aut ex alia regione, qui homunculum hominum adorationi proponendum effinxit? Immensum etenim inter Ægyptios et Græcos discrimen in hac causa deprehendimus, illis idipsum religiose respicientibus, quod his plane fatuum et ludibrio obnoxium videbatur.

Sed eam, quam hic agnoscimus, animorum discrepantiam semper exstitisse, non constat. Imo rudes adhuc Græcos ridicula Orientis figmenta summo studio et deditissima veneratione primum excepisse, facile crediderim. Populos enim adhuc barbarie et ignorantia rerum implicitos pueris conferre

(1) III, 37. Ἐν δὲ δὴ καὶ ἐς τοῦ Ἡφαίστου τὸ ἱρὸν ἦλθε καὶ πολλὰ τῷ ἀγάλματι κατεγέλασε.

(2) V. Champollion, *Panth. Égypt.* pl. VIII.

(3) *Ibid.* pl. VIII. n° 1. Cf. ad calcem, *tabularum enarrationem*.

(4) Hanc secundam Vulcani figuram in Memphitico sacrario expressam fuisse, vel ex eo constat, quod eam ut *Pygmæi* signum Herodotus diserte designat : Πυγμαίου ἀνδρὸς μίμησίς ἐστι; quam imitationem, Phœnicum Patæcis, ut bene sciens, Herodotus contulit. Quippe Παταΐκοὺς illos nil aliud, quam nomen ipsum Vulcani apud Ægyptios, *Phthah*, referre jamdudum Scaliger, vir summus, intellexerat. Hanc autem opinionem Bochartus, vir inter primos etiam collocandus, sed feliciter parum, ut videtur, rejecit : Scaligero in hoc adhæremus.

licet, quos reverentia et terrore μορμολυκεῖα afficiunt, lepida, viris, inventa. Hoc apprime saltem intelliges, si e vetusta vasculorum ζωγραφίᾳ capita hæc Gorgonis eruas, in gyrum acta, dentibus acutis et albicantibus, ore patulo, lingua demissa, obliquis oculis (1), quæ Græcia peritior in mœstissimas aut infensissimas, sed pulcerrimas semper, virgines postea mutavit. Sic, jam evecto ad sublimiores sensus Græcorum pulpito, Æschyli Eumenides proponebantur, fusca pelle, linguis exsertis, coma anguibus implicita, quibus visis mulierculæ ad abortum expavescebant (2), quod non recipias, vel si credas, Æschyli jam tempore, nobiles illas, castas, severasque virgines pro Furiis effictas fuisse, quas pleraque Græcorum monumenta referunt, vel si non animo percipias spectaculi novitatem terrorem frequentissimi cœtus mirum in modum amplificasse.

Nec in his, a poeseos gradu artium graphicarum progressus et ad eliciendos animi motus efficacitas æstimandi. Quippe carminum solertia ad culmen ocius evehitur : ars, quæ imitatione figurarum constat, diuturnos conatus postulat, ut pulcri et deformis distinctio comparetur, a qua positum inter ridiculum seriumque discrimen pendere nemo sanus dubitabit.

In eam artium promovendarum viam quis populorum aut primus, aut optime sit ingressus, non disquirendum. Præcipua saltem Græcorum et laus et venustas fuit, elementa quæ confusa Orientis aut majorum exemplum tradiderat, secundum genera distinxisse, alia risu, alia lacrumis et admiratione digna censuisse, illa ad soccum, hæc ad cothurnum

(1) V., inter alia, exemplum hujus capitis singulare apud Panofka, *Musée Blacas*, Pl. X.

(2) Cf. Boettiger, *Die Eumeniden*, et versionem Gallicam.

redegisse. At si probe de religionibus ex Oriente in Græciam delatis judicemus, nihil tale adhuc apud Asiæ aut Ægypti populos inveniebatur. Quæ placita aut dogmata figuris, ut ita dicam, implexa Græcia prius exceperat, provectioribus deinde Græcis duplicem speciem, ut istæ Vulcani Ægyptiorum figuræ quas nuper adumbrabam, præbuerunt : alia gravis, composita, quam, ab Homero relictam, in Olympum Alcamenes, Dionysus alter, reduxit (1); alia faceta potius et risum movens, quam plura monumenta referunt, et quæ Aristophanis etiam, vel Epicharmi (si famæ fides), sales et vim plane redolet. Sic ab exemplo luculento docemur, quæ similitudo, quod discrimen inter comœdiæ et tragœdiæ origines exstiterint : sic dogmatum signis, quæ religio mysteriorum constantissime fovit, ad proprium fontem revocatis, intelligimus demum quo pacto hæc in comœdiæ, illa in tragœdiæ jus cesserint, nulla publici rerum sacrarum ludibrii ratione adhibita, dummodo religionis signum, quasi fidei communis symbolum, invito risu, perstaret.

IX. Nunc, si de origine Amoris remotissimæ antiquitatis vestigia relegas, multa, nec parvi momenti, in comœdiæ partes apud Græcos transire debuisse conjicies. Jamdudum neminem latuit, quantum inter se discrepent in Hesiodi Theogoniæ vestibulo Chaos istud, *rude et indigestum*, quod prius exstitit, et Eros ille, quam proxime creatus, *Deorum immortalium pulcerrimus* (2). Quum hæc primordia rerum in imperio tenebrarum versentur, vix animus abstinebit ab *Erote* illo conferendo (pace tua, bone poeta, dictum sit!) cum

(1) Cic. *N. D.* I, 30; Val. Max. VIII, 11.

(2) V. 115 - 22.

. . . .

Ἠδ' Ἔρως, ὃς κάλλιστος ἐν ἀθανάτοισι θεοῖσι

. . . .

Erebo ejusdem Theogoniæ, quem Chaos filium, Nox fratrem habuit (1). Sed ne periculum rei hucusque inexploratæ adeam, quid primævo Amori, invitis etiam Hesiodi verbis, repræsentando magis idoneum, quam plures Vulcani pueri apud Ægyptios figuræ (2), quarum impetus in venerem immanis, simpliciter nimis, et, nobis saltem aut Græcis, joculariter exprimitur? Quid, si, cosmogoniæ, cui Oriens omnis fidem adhibuit, tenore ad integrum restituto, confusas rerum imagines evocaveris, quum nil exacti, nil separati, nil perfecti adhuc in natura vigeret, et omnia, species, elementa, sexus, immixta et implexa, in multiplices, incompositas, et monstrosas formas evadebant? ea nimirum, aut similia eis, commenta si doctrina mysteriorum esoterica admisit (quod præsumere nihil vetat), nonne multa eorum ad comœdiam optimo jure transire debuerunt, præsertim quum artifices antiquissimos figuris ejusmodi fingendis apprime deditos fuisse constet. Quibus eas apte figuras contuleris, quas jamdudum in sacrario Beli ad Euphratem, si Beroso fides, Chaldæi repræsentandas curaverant (3). Quippe multa nos inducunt, ut hujusce modi signa a Phœnicum monumentis non abfuisse conjiciamus, quæ prima omnium exemplaria ars Græcorum habere debuit (4).

Inde, sub specie joculari, fabulam quamdam de origine mundi et hominis inter Græcos evulgatam fuisse, conjicimus. An in pulpito, jam, Platonis ætate, perstrepuerit, necne, nobis decernere non vacat. Tale quidpiam asserere non au-

(1) V, 123.

(2) Cf. Champollion, *Panth. Egypt.* pl. VIII, n°s 4-6.

(3) Berosi fragm. p. 50, ed. Richter.

(4) Cf. inprimis cum descriptione Berosi, anaglyphum in vase Etrusco remotæ antiquitatis exstans apud Micalium, *Storia degli ant. pop. ital.* Atl. tav. XXII.

sim : sed constanter negare quis audeat, quum tot perierint, et primæva omnia, comicæ artis monumenta? Eam denique, quam in Convivio legimus, narrationem, a Platone omnino confictam fuisse, facile non admittam. Qualiscumque sit illa temeritas in fingendis orationibus, quam Socratem ipsum discipulo suo exprobravisse dicunt (1), fabulam ab Aristophane plane alienam opinari refragor, quam noster in Aristophanis ore proposuit. Aut si, ut in superioribus animadvertendum curavimus, Epicharmi magis quam Aristophanis comœdiam enarratio sapit, in locum mortui poetæ poetam ejusdem sectæ viventem a Platone subrogatum fuisse concedam.

Cæterum duplex in eo consilium Platonis agnoscimus, alterum quidem demonstrandi nil melius ad mores informandos (quoad partes amori in societatem hominum adsignandas spectat) religionem statuisse, quam quod poesis elatior, Phædro, politica, Pausania, physiologia, Eryximacho loquentibus, rhetorica, Agathone mox loquente, statuerant: alterum autem, suo ipsius indulgendi genio, quum nuspiam magis, quam in ea fabula emineat comicæ poesos studium, qua sese Platonem constanter imbuisse ferunt, et cujus etiam exempla in lepide venustis, et comiter atque urbane facetis plerorumque dialogorum procœmiis suspicimus.

X. Platonem enim partes Aristophanis omnino subiisse, ex eo præcipue ducimus, quod in id genus censuræ moralis iterum atque iterum offendimus, in quod Aristophanem valde pronum fuisse constat. Quid de insito hominum pectoribus amore sentiendum, aut ex quo deducenda diversitas ea, quam in amoris generibus agnoscimus, harumce rerum causas, εἰρωνικῶς nimirum et salsissime, ut comicorum regem decet, Aris-

(1) Diog. Laert. III, 35. Cf. J.-V. Le Clerc, *Pensées de Platon*, p. 457.

tophanes explodit (1) : unumquemque nostrum nil aliud esse, quam hominis tesseram, sicut soleam inter pisces, (hæc de soleis Sinici etiam referunt (2)), abscissam, ex uno dimidiam : unumquemque suam indesinenter tesseram rimari : omnes eos qui e disceptis Androgynis propagati sunt, mulieribus addictos, et ex eis plerosque stupratorum evadere : ex eodem genere mulieres ortas quas in viros et adulteria impensas cognoscimus : ἑταιριστρίας ex fœminarum, cinædos ex virorum dimidio constare : hos enim, quum in venerem nefandam ruunt, non impudentiam, sed viriles animos præ se ferre; quippe solos hominum reipublicæ gerendæ curam suscipere, posteaquam virilem ætatem adepti sunt.... Quis non, his perlectis, turpissimum in Nubibus jocum (3) recordabitur, quem hic integrum referre pudet? Multa ejusdem farinæ, quæ in poetæ solitam protervitatem aptissime cadunt (4), adhibere possem. Quæ omnia in eo consentiunt, quod poetam nullo

(1) P. 191. D. Ἕκαστος οὖν ἡμῶν ἐστὶν ἀνθρώπου ξύμβολον ἅτε τετμημένος ὥς περ αἱ ψῆτται, ἐξ ἑνὸς δύο. Ζητεῖ δὴ ἀεὶ τὸ αὑτοῦ ἕκαστος ξύμβολον. Ὅσοι μὲν οὖν τῶν ἀνδρῶν τοῦ κοινοῦ τμῆμά εἰσιν, ὃ δὴ τότε ἀνδρόγυνον ἐκαλεῖτο, φιλογύναικές τ' εἰσὶ καὶ οἱ πολλοὶ τῶν μοιχῶν ἐκ τούτου τοῦ γένους γεγόνασι· καὶ ὅσαι αὖ γυναῖκες φίλανδροί τε καὶ μοιχεύτριαι, ἐκ τούτου τοῦ γένους γίγνονται, ὅσαι δὲ τῶν γυναικῶν, γυναικὸς τμῆμά εἰσιν ..... καὶ αἱ ἑταιρίστριαι ἐκ τούτου τοῦ γένους γίγνονται, κ. τ. λ. — Φασὶ δὲ δή τινες αὐτοὺς ἀναισχύντους εἶναι, ψευδόμενοι· οὐ γὰρ ὑπ' ἀναισχυντίας τοῦτο δρῶσιν, ἀλλ' ὑπὸ θάρρους καὶ ἀνδρείας καὶ ἀρρενωπίας τὸ ὅμοιον αὐτοῖς ἀσπαζόμενοι· μέγα δὲ τεκμήριον· καὶ γὰρ τελεωθέντες μόνοι ἀποβαίνουσιν εἰς τὰ πολιτικὰ ἄνδρες οἱ τοιοῦτοι. P. 192.

(2) De hac Sinicorum opinione, vide inter alios J. Klaproth, (*Mém. rel. à l'Asie*, T. II, p. 114).

(3) VV. 1071-85.

(4) Plane Aristophanicum vocare possumus, inter alia, timorem illum Deorum, ne consueta thuris et victimarum contributione defraudentur. p. 190. C. Ὁ οὖν Ζεὺς καὶ οἱ ἄλλοι θεοὶ ἐβουλεύοντο ὅ τι χρὴ αὐτοὺς ποιῆσαι καὶ ἠπόρουν· οὔτε γὰρ ὅπως ἀποκτείναιεν εἶχον καὶ ὥς περ τοὺς γίγαντας κεραυνώσαντες τὸ γένος ἀφανίσαιεν, — αἱ τιμαὶ γὰρ αὐτοῖς καὶ τὰ ἱερὰ τὰ παρὰ τῶν ανθρώπων ἠφανίζετο· et infra : διατεμῶ δίχα ἕκαστον,

modo de tollenda, quam humanissime carpit, infamia consuluisse, perspicue demonstrant. Aliqua enim si præcipienda censet, ea (quod in hac disquisitione maximi momenti esse judico) ad religionem referuntur. Amator amasiusque simul virtuti studeant : hæc, si Pausaniæ fides, hæc lex, hoc decus summum esto. Nunc Aristophanes audiendus, qui hosce nos homines, ex uno dimidios, alloeutus (1) : caveamus, inquit, ut pietatem erga Deos et modestiam teneamus, ne dimidii rursus ex dimidiis, ad nasi perpendieulum resecti, obliquis et dimidio solum exstantibus anaglyphorum figuris plane consimiles evadamus (2). Omnes igitur homines enixe religio-

καὶ ἅμα μὲν ἀσθενέστεροι ἔσονται, ἅμα δὲ χρησιμώτεροι ἡμῖν διὰ τὸ πλείους τὸν ἀριθμὸν γεγονέναι. Nempe ea Pluti locum celeberrimum in memoriam revocant :

V. 1113. ... Ἀφ' οὗ γὰρ ἦρξατ' ἐξ ἀρχῆς βλέπειν
ὁ Πλοῦτος, οὐδεὶς οὐ λιβανωτὸν, οὐ δάφνην,
οὐ ψαιστὸν, οὐχ ἱερεῖον, οὐκ ἄλλ' οὐδὲν
ἡμῖν ἐπιθύει τοῖς θεοῖς κ. τ. λ.

Quæ Lucianus usque ad fastidium imitatus est.

(1) P. 193. A. Φόβος οὖν ἔστιν, ἐὰν μὴ κόσμιοι ὦμεν πρὸς τοὺς θεοὺς, ὅπως μὴ καὶ αὖθις διασχισθησόμεθα καὶ περίιμεν ὥς περ οἱ ἐν ταῖς στήλαις κατὰ γραφὴν ἐκτετυπωμένοι, διαπεπρισμένοι κατὰ τὰς ῥῖνας, γεγονότες ὥς περ λίσπαι. Quid hic Plato sibi velit, editores non intellexerunt : στῆλαι sunt lapides in sepuleris defixi et desuper erecti, quemadmodum plurimi adhuc in Attica inveniuntur. Τύπος ad *Anaglypha* refertur, ut optime Facius intellexit (Exc. e Plut. p. 225) : *Stelas* aut anaglypha aut picturæ plerumque adornabant : hic per κατὰ γραφὴν designari puto anaglyphum, quod reipsa ad picturæ modum et speciem accedit. Verba κατὰ γραφὴν igitur retinenda, nec in κατὰ ῥαφὴν (quod durum nimis), ut nuperrimus Convivii editor, Alexander Hommel, censuit, temere immutanda. Cæterum λίσπην (a λείπω) dimidium esse συμβόλου, inter hospites divisi, et hic et Stallbaumius antea, bene viderunt. Quod hic Aristophanes jocatur, γεγονότες ὥς περ λίσπαι, ad verba supra relata alludit : ἕκαστος οὖν ἡμῶν ἐστὶν ἀνθρώπου ξύμβολον. Vide etiam V. Cousin Platonem, Tom. VI. p. 439.

(2) *Ibid.* B. Ἀλλὰ τούτων ἕνεκα πάντ' ἄνδρα χρὴ ἅπαντα παρακελεύεσθαι εὐσεβεῖν περὶ θεοὺς, ἵνα τὰ μὲν ἐκφύγωμεν, τῶν δὲ τύχωμεν, ὧν ὁ Ἔρως ἡμῖν ἡγεμὼν καὶ

nem colere debent, ut, periculo resectionis sublato, ea consequantur, quorum Amor nobis imperator et magister. Amori contraria peragit, qui Deos odit : icto autem fœdere cum Deo, et amiticia cum eo perenni consociati, eximiam felicitatem adipiscemur : in hos scilicet amasios incurremus, quos nobis natura destinavit! — Hæc Aristophanes, verbo tenus, circumstante cœtu, ex quo neminem, præter Socratem, a labe societatis Græcæ pessima exemeris, præsente Agathone hospite, viro jam et laurea tragœdi donato, quem Pausanias, vir alter, in propatulo fovet et deperit!

XI. Nunc si quæritur, quosnam Deos Aristophanes evehat, an Jovem ad Ganymedis oscula sui caput reclinantem, an Marsyam, ad normam Petroniani istius Eumolpi, cum Olympo pædagogum agentem, an Prosymnum de via ad inferos monstranda cum Dionyso paciscentem, an Agdistin Phrygium Atyn in venatu nullibi deserentem, quis non videat hæc omnia a consuetis Græcorum sacris abfuisse, et, si mysticam (quæ istarum fabularum nonnullis diserte attribuitur (1)) originem demas, inter commenta poetarum parum verecunda merito referri potuisse ? Aliter tamen judicabimus, et de tota fabula meliora sentiemus, si, quibus clausula verbis concepta sit perpendentes, ea cum conceptis mysteriorum verbis conferamus, quorum reliquias ætas omnino non abstulit. Audiamus enim Aristophanem nostrum (2) amorem illum magni-

στρατηγός· ᾧ μηδεὶς ἐναντία πραττέτω· πράττει δ' ἐναντία, ὅστις θεοῖς ἀπεχθάνεται· φίλοι γὰρ γενόμενοι καὶ διαλλαγέντες τῷ θεῷ ἐξευρήσομέν τε καὶ ἐντευξόμεθα τοῖς παιδικοῖς τοῖς ἡμετεροῖς αὐτῶν...

(1) Clem. Alex. *Protrept.*, p. 30, Polter.

(2) P. 193. D. Οὗ δὴ τὸν αἴτιον θεὸν ὑμνοῦντες δικαίως ἂν ὑμνοῖμεν Ἔρωτα, ὃς ἔν τε τῷ παρόντι ἡμᾶς πλεῖστα ὀνίνησιν εἰς τὸ οἰκεῖον ἄγων, καὶ ἐς τὸ ἔπειτα ἐλπίδας μεγίστας παρέχεται, ἡμῶν παρεχομένων πρὸς θεοὺς εὐσέβειαν, καταστήσας ἡμᾶς εἰς τὴν ἀρχαίαν φύσιν καὶ ἰασάμενος μακαρίους καὶ εὐδαίμονας ποιῆσαι.

ficari jubentem, qui nos non solum impræsentiarum summopere juvat, sed etiam nobis εἰς τὸ ἔπειτα ἐλπίδας μεγίστας παρέχεται, in futurum *maximas spes* prætendit, dummodo pietatem erga Deos exerceamus, fore ut in pristinam naturam revocati et perfecte sanati, felicitatem demum et beatitudinem sortiamur? Quid illa felicitas? Iterum Androgynos (quod hodie, ut Aristophanes ipse prædicat (1), in opprobrium vertitur), aut bimares aut duplices fœminas fieri! o beatam felicitatem! o summam et probabilem expectationem! Sed quis in antiquitatis studiis tam parum initiatus, qui in his ἐλπίδας illas subito non agnoscat, de quibus cæterum nihil definiti decernere audeam, nisi quod in Eleusinio sæpissime pronuntiabantur (2)?

XII. Quid præcipue Plato sibi voluerit Aristophanem in Symposium inducendo, satis superque probatum, ut videtur. Quonam consilio Aristophanem, poetam religiosum et minime castum, Socrati opposuerit, nemo non perspicue deinceps intelliget. Ea sole clarius etiam elucescent, inspicienti propius et assidue pertractanti quæ Socrates ipse de amore perhibet, sub persona Diotimæ illius diviniore, mulieris ab Atheniensibus Deorum instar suspectæ, postquam eam pestis atrocissimæ labem decem annis distulisse crediderunt (3). Quippe in hac prosopopœia Socrates auditores, mirum in modum, ad meliora et castiora pellicit, non antiquam, quoad

(1) P. 189. E. ..... Νῦν δ' οὐκ ἔστιν ἀλλ' ἢ ἐν ὀνείδει ὄνομα κείμενον.

(2) Cf. *Aglaopham.* Tom. I, p. 69 et seqq.

(3) P. 201. D. Τὸν δὲ λόγον τὸν περὶ τοῦ Ἔρωτος, ὅν ποτ' ἤκουσα γυναικὸς Μαντινικῆς Διοτίμας, ἣ ταῦτά τε σοφὴ ἦν καὶ ἄλλα πολλά, καὶ Ἀθηναίοις ποτὲ θυσαμένοις πρὸ τοῦ λοιμοῦ δέκα ἔτη ἀναβολὴν ἐποίησε τῆς νόσου .... an Μαντινικῆς aut μαντικῆς legendum, non definio; Alexandro Hommel assentior tamen, adversus Stallbaumium divinationem Diotimæ apte convenire probanti.

amorem spectat, religionem propalam vituperans, sed divina divinis, ut opinio vulgi ferebat, objiciens. Quæ Deorum naturam attinent, philosophia nuda exponere non audet : majora majoribus applicantur. Illæ θρησκείας symbolæ, quas in Aristophane observavimus, a Diotima non absunt : Aristophani per fabulas loquenti Diotima μυθολογοῦσα opponitur. Sed jam fabulis aliquid religionis detrahitur : Amor e numero Deorum, invita vetustate, eximitur (1) : in Dæmonum gradum redigitur, εἰρωνικῶς saltem : nam ubi eum, paucissimis tantum verbis interjectis, jam invenies, nisi in illo idearum mundo, cujus aperiendi causa Socrates mortem ipsam oppetere non dedignatus est ? De Quæstu et Pauperie, Amoris parentibus, nihil amplius definio, nisi quod philosophicam allegoriam, non jam μύθον, ante oculos habemus. Multis enim ejusdem generis commentis, quoad speciem tantum, vetustam religionem referentibus, Græciam Socratis ætate refertam fuisse constat. Res omnino novas, sub umbra veteris disciplinæ instaurandæ, Pseudoorphici (quibus assentiebatur Socraticus Euripides) et alii moliebantur : in divinatione etiam, præter ritus antiquos, præter opiniones diuturno consensu comprobatas, nescio quid liberioris sensus spirabat. Sic et Socratem, sub auctoritate Diotimæ perfugium quærentem videmus, quam adversus legitimæ superstitionis invidiam superstitio liberior forsan protexit. Vide quæ de metragyrto, Athenis interempto, quia fœdam religionem inferebat, sed post mortem sacris solemnibus expiato, tradunt (2). Athenienses etiam Socratem absumptum piaculis et religione prosequuti : quasi

(1) P. 202. D. Τί οὖν ἂν, ἔφην, εἴη ὁ Ἔρως; θνητός; ἥκιστά γε — ἀλλὰ τί μήν; — ὥς περ τὰ πρότερα, ἔφη, μεταξὺ θνητοῦ καὶ ἀθανάτου — τί οὖν, ὦ Διοτίμα; — Δαίμων μέγας, ὦ Σώκρατες.

(2) Suidas, V. Μητραγύρτης.

in Socrate, philosophiæ contra leges illatæ metragyrtum agnoscere debeamus.

XIII. Cæterum, quid de amore Socratico sentiendum putem, in superioribus edisserui : plures jam a prava consuetudine prorsus abstinuisse, civitatem omnem Lacædemoniorum abominandam libidinem respuisse, et e Xenophonte in Convivio suo (1) et e Pausaniæ ipsius in Platonis dialogo oratione (2) constat. Socratem, ut castitatem demum in casto parum commercio servaret, diutius cum semetipso pugnavisse, conjiciam (3). Eo vere σειληνικὸς ut reliquo corporis habitu, de indole generis humani eadem quæ de seipso aut de civitate sua opinatus est, numquam profecto suspicatus, fore ut posterorum nonnulli in caput suum infamiam ingererent, a qua prope solus ætatis suæ liberum solutumque se præstitit. Periculum rei aut pravæ interpretationi subjiciendæ, aut calumniis obscurandæ discipulum intellexisse ex

(1) VIII, 8, 35. Λακεδαιμόνιοι δὲ οἱ νομίζοντες, ἐὰν καὶ ὀρεχθῇ τις σώματος, μηδενὸς ἂν ἔτι καλοῦ κἀγαθοῦ τοῦτον τυχεῖν .... θεὰν γὰρ οὐ τὴν Ἀναίδειαν, ἀλλὰ τὴν Αἰδῶ νομίζουσι. Dubitatio tamen oritur ex ejusdem Xenoph. *Lac. Rep.* II, 15.

(2) P. 182. Ὁ δ' ἐνθάδε καὶ ὁ ἐν Λακεδαίμονι ποίκιλος.

(3) In hoc Platonem penitius quam Xenophontem Socratis cogitationem indagavisse existimo. Xenophontis enim sententia, in Convivio suo, quamquam in primo conspectu planior videatur, attamen nitida parum nec sibimet ipsi constans, propius investiganti reperitur. Quippe φιλία et ψυχῆς ἔρως res eadem esse nullo pacto possunt, nisi omnino consuetudinem ipsam tollas quæ sub nomine amoris, inter Nisos Euryalosque, maturiorem unum, alterum teneriorem, exstabat. Hunc apprime nævum quæstionis Plato indicavit, et τελέοις et ἐποπτικοῖς Socraticæ doctrinæ adnumeravit. Cf.p. 210. Ταῦτα μὲν οὖν τὰ ἐρωτικὰ ἴσως, ὦ Σώκρατες, κἂν σὺ μυηθείης· τὰ δὲ τέλεα καὶ ἐποπτικά, ὧν ἕνεκα καὶ ταῦτα ἔστιν, ἐάν τις ὀρθῶς μετίῃ, οὐκ οἶδ' εἰ οἷός τ' ἂν εἴης. — Ἐρῶ μὲν οὖν, ἔφη, ἐγὼ καὶ προθυμίας οὐδὲν ἀπολείψω· πειρῶ δὲ ἕπεσθαι ἂν οἷός τε ᾖς. — Δεῖ γάρ, ἔφη, τὸν ὀρθῶς ἰόντα ἐπὶ τοῦτο τὸ πρᾶγμα ἄρχεσθαι μὲν νέον ὄντα ἰέναι ἐπὶ τὰ καλὰ σώματα, καὶ πρῶτον μέν, ἐὰν ὀρθῶς ἡγῆται ὁ ἡγούμενος, ἑνὸς αὐτὸν σώματος ἐρᾷν καὶ ἐνταῦθα γεννᾷν λόγους καλούς· κ. τ. λ.

Alcibiadis oratione facile percipias. Exinde castitas Socratis, quasi per ignem purgata, mirum in modum effulget. Sed quum nec ita doctrina ejus ab omni peccato liberetur, quid Socratis amor ille sibi velit, aut perscrutari aut declarare plerosque piget : invito demum Alcibiade, calumniantur, qui non prætermittunt, prætermittunt qui maledicere nolunt. Eo tamen inprimis Socratis virtus præcellit, quod crimen *corruptæ juventutis*, jam ab Aristophane prolatum in Nubibus, postea etiam in Areopago relatum, nondum Athenis significatione illa præditum fuisse necesse est, quam recentiores temere sibi finxerunt. Hæc autem opinio jam dudum evaluisset, si, quæ de puerorum amore Aristophanes ipse profitetur, majore perpensa studio fuissent. Nil refert, inquit Aristophanes, juvenes (ut castiores Latini dicunt), *corrumpi*, dum religio colatur. Hæc autem juventutis corruptio ultimo vel supplicio refrænanda, quæ cives reipublicæ infensos et a religione alienos præstat. In hoc articulo saltem contentio inter Aristophanem in Nubibus, et Xenophontem in Memorabilibus, Platonem in Apologia versatur. Socrates a Xenophonte ut pius et vere politicus asseritur : ut puerorum amator autem, plane, in Memorabilibus saltem, omittitur : tantum abest ut in Convivio Platonis Alcibiades criminationem illam *corruptæ juventutis* redarguere studeat.

XIV. Superest etiam, ne inceptum non absolvisse videar, ut fontes disertius definiam, e quibus Aristophanes narrationem suam haurire debuit. Sed *plenum opus aleæ*, altum pelagus et erroribus refertum, in quod non sine reformidatione maxima incurrere non ausim. Jam in præfatis, pauca quidem, sed idonea, ut opinor, de origine illa retuli. Verum enimvero certissimam earum rerum comprobationem ab assiduo religionum, quas Oriens coluit et in Græciam invexit,

studio pendere, compertum mihi et exploratum habeo. Sed investigationis id genus, quid novi, quid incerti adhuc præbeat, quis non videt? Ea meliori ævo, et quod fructus diuturna exploratione partos percipere et maturare queat, relinquenda. Cæterum plurima jam in promptu sunt, quæ nos non inania somniari satis superque comprobant. Multa in narratione Aristophanis, ad imagines adludunt, in monumentis obvias, quas aut Orientalis, aut Græca, aut Latina antiquitas servaverunt (1). De Androgynis quid æstimandum,

(1) Androgynos, bimares et fœminas duplices apud Platonem habemus. Binæ in eodem capite facies, aut virorum, ut Jani, aut mulierum, quas Antevortam et Postvortam vocavi (*nouv. Galer. mythol.* p. 7), aut masculi et fœminæ, quas Jovis et Junonis prædicant, in assibus Romanis, aut Italicis, in nummis Tenedi et Lampsaci, et aliis, obviæ. Bicipites Hermas quis ignoravit? Lege vividam priorum hominum descriptionem: Ἔπειτα, ὅλον ἦν ἑκάστου τοῦ ἀνθρώπου τὸ εἶδος, στρογγύλον, νῶτον καὶ πλευρὰς κύκλῳ ἔχον. Χεῖρας δὲ τέτταρας εἶχε, καὶ σκέλη τὰ ἴσα ταῖς χερσί· καὶ πρόσωπα δύο ἐπ' αὐχένι κυκλοτερεῖ, ὅμοια πάντη· κεφαλὴν δ' ἐπ' ἀμφοτέροις τοῖς προσώποις ἐναντίοις κειμένοις μίαν καὶ ὦτα τέτταρα.... Quis melius, quæso, Janum bifrontem depinxit? Alia ad Atticam religionem arctius referuntur. Mythum Minervæ quam Vulcanus proterve insequitur, recordabitur, quisquis hæc verba legerit: (p. 191. B.) Τέως γὰρ καὶ ταῦτα ἐκτὸς εἶχον, καὶ ἐγέννων καὶ ἔτικτον οὐκ εἰς ἀλλήλους, ἀλλ' εἰς γῆν, ὥς περ οἱ τέττιγες. Quæ jam animadvertenda proposui, in *Annal. Inst. Archeol.* Tom. VI, p. 261 ubi etiam plurima de Androgynis invenies. Hic etiam ad id quod Aristophanes de Luna ἀνδρογύνῳ refert, nonnulla annotata. Cæterum, in cimelio Regiæ Bibliothecæ quod curandum et ordinandum nuper habui, lepidum exstat viri cujusdam signum ex ære, cujus τὰ αἰδοῖα εἰς τὸ ὄπισθεν. Mimum ἀσκωλιάζοντα et ἐφ' ἑνὸς πορεύοντα σκέλους (p. 190. D.) in vasculo depictum observavi, quod in hereditaria E. Durand auctione prostabat (*catalogue*, n° 670). Plura referre possem de iis qui τοῖς μέλεσιν ἀπερειδόμενοι τάχυ ἐφέροντο κύκλῳ, collato signo hoc singulari, quod *triquetram* diu vocaverunt interpretes, et de quo multa præclare et sagaciter explorata apud Honoratum, Ducem de Luynes (*Etudes Numism.*, C. 3.), videre est: sed deficiunt et otium et spatium. Agdistio ἀνδρόγυνον in monumentis non habes: sed hujus vim et impetum, omnia per strages et ruinas evertentis, et Diis ipsis pavorem injicientis, cum Androgynorum Platonis audacia optime contuleris, quæ ut τὴν ἰσχὺν δεινὰ καὶ τὴν ῥώμην depingit et a quibus narrat, Otum et Ephialten imitantibus, Deos oppugnatos fuisse. Ad amorem Androgynum, in

jam multi, nec ignobiles, religionum veterum interpretes decreverunt; divinæ cujusdam speciei vestigia in qua duorum sexuum signa et vices coalescunt, nullibi in Oriente defecisse constat. Hoc plenum naturæ corpus significari, in quo, quod patitur et quod agit, quod violentum, quod remissum, quod fœcundans, quod fœcundum, miro librari consensu videantur, quis dubitat? Sed has cogitationes ingeniosas nimis, et quæ humanitatis jam provectæ subtilitatem sapiant, plurimi judicaverunt : gravissimam sane et non paucioris momenti controversiam, quam pro ratiocinii arbitrio quisque dirimeret, nisi monumentorum certa fides et ætas plane definita quæstionis nodum expedirent! Hoc ratum et controversia liberum proponere sola hucusque potuit Ægyptiorum antiquitas, cui illustrandæ quam maxime profuit *Joannes Franciscus Champollion,* vir eximie sagax et ingenio pollens, summum et patriæ et ætatis nostræ decus, quem præsentem colere, absumptum mature nimis lugere, inprimis ut debitum observantiæ et memoriæ munus, semper duxi et jugiter ducam. Cujus exemplo, auctoritate et operibus fretus, plura certissimæ et remotissimæ antiquitatis documenta referre possum (1), quibus Androgynorum fabula e Græcia quæ eam, interdum festivo, interdum autem decoro habitu donavit, in Orientem, ubi sub immani et barbara specie floruerat, aperte revocatur : quæ tantum refero, ne me fidem commentis plane novis, aut Indorum, aut Chaldæorum, aut Phœnicum præstitisse plures incusent : cum judicii acumine eximio, omnia quæ retulit antiquitas, ut a recentiore manu conficta, aut

monumentis Græciæ Magnæ mysticis obvium, caducam memoriam revocavit J. D. Guigniaut, vir doctissimus, Creuzeri probatissimus interpres.

(1) *Panth. Egypt.*, Pl. 6 *bis*, 6 *quinques*, 8 n° 6, H. 14, n° 2, 14 (F *ter*).

absona plane et omni sensu destituta, repellendo, nonnulli præcellere confidenter autument.

Quibus omissis, ne nominum auctoritas plus quam veritas ipsa, ut sæpius, valere videatur, hosce omnes qui cogitationis humanæ fodinis eruendis vires impendunt, obsecro obtestorque ne a proposito fine deterreantur, et ne viam deserant quam non veram esse, nec ab erroribus aliorum, nec ab aliorum dubitatione pendet. Pauca scire nos ipsos, multa rescienda posteris nostris tradere, hoc in fato, hoc in præmio est; væ nobis, si plura desideramus!

XV. Operam igitur, vix inchoatam, meditationi tantum subjectam, relinquo: quædam alias adjicere nec mihi spero fore interdictum. Nunc absit, ut memet ipsum abunde contentum prædicem, dummodo de philosopho bene meritus esse judicer, cui neminem in antiquitate aut inter recentiores, ingenio, lepore, copia, æquiparandum duco; quem Dei providentia videtur destinavisse, ut honestissimum, quem nostrum genus ad Christi usque tempora protulerat, virum, honestus ipse optimo cultu et perquam eximio decore exornaret et admirationi hominum ostenderet; qui solus fere cum magistro, ab opprobrio et infamia Græciam ætatis suæ liberavit, de qua, sicut Plato ipse de poetis, facile decerneremus, coronatam illam a civitate nostra abjicere, nisi refragarentur et Socrates et, quos Socrates peperit, vivendi ut dicendi præceptores, certi Christianæ legis præcursores, supereminente nimirum Platonis laude, quem ut *quemdam philosophorum Deum* Cicero proposuit, quem nos autem, inter Deos corruptæ vetustatis, summum philosophum et præcipuum sapientiæ magistrum prædicamus!

THESES.

I. Duplex Platonis consilium, Aristophanem in Symposium inducentis, agnoscitur: alterum majus, probandi Religionis mysticæ Græcorum assertores de partibus amori in societate hominum adsignandis, sicut poetas, politicos, physiologos, aut rhetores, prave censuisse; alterum, sed minoris momenti, suometipsius genio indulgendi, poeseos comicæ illecebris summopere captato.

II. Aristophanicæ orationis consilium, collatis inter se variis dialogi partibus, præcipue demonstratur.

III. Aristophanes in Symposium, non solum invita simultate quæ inter eum et Socratem intercedebat, sed propter simultatem illam, diserte inducitur.

IV. Aristophanes in dialogo partes comicæ poeseos tuetur, cujus origo et usus ad mysteriorum institutionem referri debet.

V. Comœdia apud Græcos discrimine serii et festivi, gravis et jocosi constat, quod a theologia orientali abfuisse necesse est.

VI. Androgynorum fabula, quam Plato Aristophanis in ore sistit, inter argumenta numeratur quæ mystica Græcorum disciplina ab Oriente mutuata est.

VII. Origo Androgynorum fabulæ, ex Oriente delata, monumentis artium graphicarum eximie comprobatur.

Vidi ac perlegi:
Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona, d. VII. Id. Sextil. Ann. M . DCCC . XXXVIII.
Facultatis litterarum in Academia Parisiensi decanus,
J. V. Le Clerc.

Typis mandetur:
Studiorum Inspector generalis, Academiæ Parisiensis rebus procurandis præpositus,
Rousselle.

Has theses dilucidare et tueri conabitur ad doctoris gradum promovendus Carolus Lenormant, Parisinus, in Facultate Litterarum jam Licentiatus.

ENARRATIO TABULARUM.

I. Tabulam, quam in fronte hujusce diatribæ vides, jam in præfatis (p. 16, n. 1.) laudavi; præcipuis comicæ ζωγραφίας monumentis accensetur, quæ hucusque detecta fuerunt: exstat hodie in ditissimo Adolphi vicecomitis Beugnot cimelio, viri quos inter sagacissimos rerum antiquarum amatores Gallia numerat. Anticam vasis partem exornat, tredecim pollicibus alti, ex eis quæ Panofka ὀξυβάφοις Græcorum addixit. Postica, quam præterii, ad res gymnasticas pertinet.

Virum, seu potius mimum habes, exiguum et ventriosum, ut solent: cui, pro veste, tunica brevis, fimbriata, succincta, et anaxyrides; cætera, persona, fascinus, descriptione non indigent. Suggestui insidet, e materia ædificato, quem ἀέτωμα obumbrat, trabibus obliquis fultum. Ascensus ad suggestum per gradus datur, ut in numis quæ congiaria monstrant. Scalis autem invitis, pulpitum in hoc suggestu agnosci potuit, ut Gerhardus opinatus est (*Hall. allgem. Literatur. Zeitung*, 1836. *Arch. Blatt.*, p. 338.): nempe in vasis quæ res scenicas ostendunt, ut in celeberrimo quod Mazocchius (*Tabul. Heracl.*, p. 138) exposuit, et in quo certamen *Dædali* et *Enyalii* jocose depingitur, scena in fronte gradus habet his nostris

plane consimiles. Sed res non in suggestu solum (quod fabulæ pictura postulavisset), sed extra suggestum agitur; inde percipimus non pulpitum tabulæ nostræ iuesse, sed circulatoris cujusdam, ut ita dicam, podium, ex quo artem et medicamenta, non sine fastu et clamore, extollit. Scytham agnoscis, aut unum ex Hyperboreis. Ante pedes pera, barbaro ritu distincta, arcus, pileus Scythico non absimilis : quippe talem habent Scythæ in anaglyphis, quæ Marsyæ supplicium ostendunt (1). Gradus saliunt duo alii e mimorum cœtu quorum cultus a priore non diversus. Unumquemque si inspexeris, quid sibi velit non intelliges : ambo autem in unum coalescentes festivam centauri speciem præbent, quum alter qui anteit, cano capite et cæcutientibus oculis conspicuus, quasi ætate fractus, et nodoso scipione innixus, pede incerto scalis invehitur, et alter in alterum pronus, equinam centauri partem imitatur. Hoc duplex et ambiguum monstrum Scytha noster excipit, amplectitur et fovet.

Hactenus de suggestu : in ulteriori autem tabula, montes, uno tractu, ut vasculorum pictores solent, depicti : quorum in sinu mulieres videre est, larva scenica etiam spectabiles, sedentes, medio corpore tantum exstantes : propius et in dextro latere virum aspicis, statura minorem, pallio omnino involutum, laureatum, stantem, cætera enixe spectantem. Unus ille e mimorum numero aperte eximitur.

Inscripta quædam vocabula, manca quidem et mutila, quum vasculum non integrum prorsus evaserit, rem tamen disertissime illustrant. Ad Scytham adest verbum.... ΙΘΙΑΣ, sublatis una aut pluribus litteris ; Centaurus ΧΙΡΩΝ inscribitur ; super

(1) Vide, inter alia, Winckelmann, *Monum. ined.* tab. XLII ; Clarac, *Musée de Sculpture*, pl. CXXIII, N° 731.

mulieres ΝΥ.... ΑΙ legis, haud dubie pro ΝΥΜΦΑΙ. Montes habes Græciæ superioris, quorum vetustioribus incolis Centauri adnumerantur. In Hyperboreo illo, Apollinem ipsum agnoscis, e Scythia migrantem, arcu et medicina pollentem, novas artes barbaræ Græciæ inferentem, in Parnassi faucibus consistentem, et Delphicæ religionis fundamenta jacientem : *Pythium* denique, quem in *Pithia* tabulæ facile cognosces. In *nymphis*, quæ duæ sunt, aut *Diana* et *Latona*, ut prius conjeceram (1), aut Musæ etiam, Parnassi et Heliconis incolæ, si prioris conjecturæ temeritas incusatur, agnoscendæ.

Opinionem, quam de argumento tabulæ proposueram, amplexi sunt viri docti, et inter eos, eximius et humanissimus laboris nostri censor, Ed. Gerhardus. Sed cur non æque virum qui scenæ interest, ut *mystam* et *epoptam*, receperit, plane non intelligo. An suggestum pro pulpito tantum habuit? Sed ubinam apud Græcos extra pulpitum et scenam spectaculum esse potuit? Montes quibus nymphæ insident, an in scenæ apparatu? Talia saltem hucusque picturæ vasculorum aut aliæ non protulerunt. Sed quis spectator ille, unus pro multis, ut Gerhardus intellexit, δῆμος alter e Parrhasii scrinio prolatus, qui stat, non sedet, et qui ne plaudere etiam possit, manibus pallio implicitis? Coronæ, fateor, spectatores in Dionysiacis decent : sed corona strictius etiam epoptam designat, quem pallio circumvolutum in mysteriis stetisse testimonia antiquitatis probant.

Cæterum, tabulæ argumentum conjectura tantum assequi licet : de Chirone cæcutiente, de Apolline Pythio Centauro visum restituente, silent veteres. Quæ conjicimus autem, aut potius quæ scenæ complexus recipere cogit, moribus,

(1) *Cabinet Durand*, N° 669.

aut Apollinis Pythii, aut Chironis non repugnant: Centaurus, Apollinem in montibus Græciæ præivit; senio igitur, quum Græciam adiit Apollo Hyperboreus, confectus esse debuit. Orionem habemus (1), venatorem etiam et montium incolam, luminibus orbum, et visum, inspecto oriente sole (quem, invitis quibusdam, Apollini probe conferes), recipientem. Apollinem medicum quis ignorat? Multa demum apud poetas historicosque et in monumentis inveniuntur, e quibus religionis Delphicæ et Deliæ novitatem et discrepantiam a vetustiore θρησκεία deprehendes. De re notissima satis erit ad Herodotum (2), Hymnum Homericum in Apollinem, anaglypha in quibus Herculem Apollinemque de Tripode certantes videmus, vasculi picturam (3), Apollinem Tripode vectum ostendentem, et multa alia lectoris animum revocavisse. Eadem nostræ pictor fabulæ, sed Aristophanico more, et ut comœdiæ modum decebat, effinxit. Monumentum, non inter antiquissima quidem referendum, sed e pulcro exemplari manans, et quod optimam ætatem, Aristophanis ætati propiorem, non dedeceat. Non meliora quidem in vasculo Romæ servato habes, in quo Jovis et Alcmenæ amores, Plautino more depictos, Winckelmannus primus agnovit (4). Alterum, sed perspicuum minus, inter comitis de Pourtalès divitias, et quod Panofka illustravit (5), exemplar invenies : nec desunt in vasculorum picturis aliarum fabularum *parodiæ*.

II. Lampadem figulinam, miræ magnitudinis (duorum

(1) Apollod. I, 4, 3, et alii multi.
(2) IV, 33, 35.
(3) *Annal. Inst. Archeol.* tab. XLVI.
(4) *Monum. Ant. ined.* tab. CXC.
(5) *Cabinet Pourtalès*, pl. X.

pedum circiter) in navigii formam effictam, titulo operis inserui (1). Multa supellectilem illam commendant, cujus αὐθεντίαν nonnulli frustra tentaverunt, quum nil in ea optimæ antiquitatis florem non redoleat, et diuturnam sub aquis commorationem madreporæ lateri defixæ apte comprobent. E Puteolis effossam perhibent, ubi Serapis frequentissima religione colebatur, cujus simulacrum inter lampadis anaglypha cernis. Sed pauca tantum de rebus quæ non ad nostræ dissertationis argumentum adtinent.

Votum inspicis, aut pro felici navigatione conceptum, aut itinere per fluctus, faventibus diis, confecto solutum: navem ipsam voti monumentum imitatur. Pro remigum ordinibus, viginti ellychniorum foramina invenies. Verbum in medio inscriptum : ΕΥΠΛΟΙΑ, *bona navigatio*, artificis consilium prodit. Desuper eminet juvenis pileatus, cum hasta et chlamyde, equo adstans quem fræno gubernat, absque ullo dubio alter *ex fratribus Helenæ*, *lucidis sideribus*, qui tempestates a piis capitibus avertebant. Non diversa pollicetur, Isis illa, Εὐθυνίας et Fortunæ attributis prædita, cornu fructibus refertum gerens, loti flosculo imminens, Ægyptiaca corona redimita, Lunæ crescentis signo conspicua, Serapidi adstans, quem barba, cultus, pallium, radii modiusque apertissime designant. Gubernaculum, quo innititur, Isidem Phariam, artis navigandi magistram, potius deceret, nisi in Alexandriæ numis Serapidem reperiremus, in navigio consistentem (2) : inde eum facile recipias inter

(1) *Cabinet Durand*, n° 1777.

(2) Zoega, *Numi Ægyptii*, p. 133, N° 309, tab. VII; Mionnet, Tom. VII, N° 1105. Serapidem vides inter Isidem Phariam et Cererem. Quo typo Zoega adumbrari censet adventum Hadriani et Sabinæ Alexandriam, qui sub annum XV, numo inscriptum, cadit. Sed quid vir doctissimus censuisset, si numos Antonini Pii,

deos, quos maritimis vicibus præesse religio veterum censuit.

Hæc in puppi navis : ad proram caput juvenile radiatumque solis habes, navigatoris etiam, si Ægypti fabulas, e quibus Serapidis religio fluxit, adieris. Herculem Oceanum in poculo transfretavisse veteres ipsi retulerunt (1). Cæterum sol Serapisque, prout soluti voti auctor voluit, in unum coalescunt sanctum eximiumque faustæ navigationis exemplum. Hanc impeditam recentiorum animis sententiam, perspicue tamen explodit inscriptio subter lampadem insculpta : ΛΑΒΕΜΕΤΟΝΗΛΙΟΣΕΡΑΠΙΝ, *accipe me, Solem Serapidem:* quippe navigium, Solis et Serapidis signis ornatum, pro diis ipsis, in unum conspirantibus, diserte proponitur.

Impeditum magis etiam, majorisque momenti, ut videtur, quod inter vocabulum : ΕΥΠΛΟΙΑ, proramque navigii reperimus. Homunculum aspicis, gibbosum, distortum, turpissimum. Ante pedes rastrum et uncus, artis figulinæ instrumenta; figulus ipse, qui testam manibus componit, mox in caminum, e quo flammæ prorumpunt, delaturus. Capiti cornu arietinum inesse credideris, nisi potius capillos in cornu modum implexos agnoscas, quales Ægyptii deorum capitibus sæpius imponunt (2).

qui nunquam Ægyptum adiit, Alexandriæ cusos, vidisset in regio Parisiensi Numophylacio adservatos? Adi Mionneti descriptionem, tom. VII, Nos 1402, 1403 et 1542. *Sérapis assis sur une galère ... en face Isis debout : Serapis assis sur une galère entre la Fortune et Isis debout?* Numos saltem referre potuisset, Romani commatis, alterum Diocletiani, æreum maximi moduli, in quo *Serapidem sedentem, timonemque agentem, sinistra velum tenentem, Victoriam ante ipsum stantem* videre est; alterum Val. Maximiani, æreum secundæ magnitudinis, qui navem sistit, *in qua Serapis sedet ad gubernaculum, Isis velum tenet?* VOTA PVBLICA in utroque legimus. Retulit Vaillant, Part III, p. 225, et Part. I, p. 261. Hi omnes lampadis nostræ consilio arcte cohærent.

(1) Macrob. *Saturn.* V, 21.

(2) Champollion, *Panth. Eg.* Pl. 14 a et 14 d.

Multa jam de figulo isto præceperam, Puteolanæ lampadis prorsus ignarus, quando Canthari, heroïs Attici, fabulam (*Ann. Inst. Archeol.* tom. IV, p. 311 et seqq.) restituere conatus eram. Canthari nomen apud Græcos et *Scarabæum*, summi qui mundum effinxit figuli, et quem antiquitas *Demiurgum* vocavit, signum, et *poculum* Baccho dicatum, et *cymbæ genus* designat. *Cantharus* laudatur figulus, poculi, quod *canthari* nomen habet inventor. *Cantharus Heros* etiam nomen uni e portubus Piræei indiderat, quemadmodum Carthaginis portus militaris *Cothon*, (poculi species apud Græcos), vocabatur. Sæpenumero, inter scarabæorum Etrusci nominis ornamenta, figulum testam effingentem reperimus.

Multa in Puteolana supellectili ad Canthari fabulam animum revocant: figulum habes, et testam, et navigium, et Ægyptiorum deos; argumentum denique deprehendis, cui enodando Græca antiquitas non suppetit; plasma ridiculum etiam, sub quo dogma religionis Ægyptiacæ antiquissimum consulto latet. Quibus intelligendis, et præcipuo dissertationis proposito coaptandis, monumenta collegi, quæ in fastigio operis, una cum lampadis figulo (majori modulo, et qui ad monumenti ipsius metrum accedit), necnon ad calcem proponenda curavi.

Puerum ad lævam figuli nostri, jam in præfatis descripsi. Vulcanum Pygmæum vides, de quo Herodotus. Lepidum caput jam J. F. Champollion, Pantheoni suo (tab. 8) inseruerat; exemplar eximium e scrinio Bibliothecæ Regiæ deprompsi. *Phthah*, Vulcani Ægyptiorum, nomine in monumentis designatur. Phthah, ut mundi opifex, apud veteres diserte proponitur; monstrat eum rotam figlinam agentem anaglyphum parieti maximi Philarum templi insculptum (1):

(1) Champollion, *Mon. de l'Eg. et de la Nubie*, Tom. I. pl. 87.

......ὡς ὅτε τις τροχὸν ἄρμενον ἐν παλάμῃσιν
Ἑζόμενος κεραμεὺς πειρήσεται, αἴ κε θέῃσιν.

Quæ provincia in alio ejusdem monumenti τύπῳ Canopum (Ægyptiace *Knef*) spectat, capite insignem arietino (*ibid.* tab. 89.).

Attamen jocularem pueritiæ speciem Vulcanus ille figulus non retinuit : jam vir perfectus evasit, corpore procero et omnibus numeris absoluto. Vulcano autem puero homunculum alterum, quem ad dexteram Puteolani figuli constitui, apte contuleris. Par ambobus deformitas, par crurium obliquitas, par capitis immanitas : sed pro puero virum miraris linguam exserentem, oculis minantem, hispida barba terribilem : capiti e nescio quo flore fastigium. Hunc quo nomine designem, non habeo. Herculis nomen mecum communicaverat Champollion, dependente plerumque inter crura leoninæ pellis cauda, quam habet in tergo (1) : cultum similem in antiquioribus Herculis figuris reperies quæ in vasculorum picturis occurrunt : quibus Typhonis, ut primi interpretes opinati sunt, signa, in Ægyptiorum templis obvia, non sine verisimilitudine conferenda. Alterum quidem Herculem in Olympo Ægyptiorum reperis, juvenem illum scilicet, Vulcano viro consimilem, nisi quod implexos instar arietini cornu crines et in vertice capitis lunam crescentem cum disco solis conjunctam habet (2) : hunc *Khons* aut *Chons* Ægyptii vocaverunt; Χῶνα (3), Græci autem, Σὲμ, aut Σέμφως (4),

(1) *Descr. de l'Eg. Antiq.* vol. IV, pl. 33. Cf. meum opus : *Mus. des Ant. Eg.* Tab. XXIV, N° 1; Caylus, III, pl. 4.

(2) *Panth. Eg.* Pl. 14 a et 14 a. Veram nominis interpretationem, quæ eum prius fefellerat, Champollion, inspectis Thebarum monumentis, restituit. V. *Gr. Eg.* p. 113, et *passim.*

(3) Etym. M. v. Χῶνις.

(4) Jablouski, *Panth. Æg.* II, 3, p. 187.

aut Καμηφὶν (1) etiam scripsisse videntur, mira litterarum confusione, quam alias explicare tentavi. Hunc Chona Herculi contulerim, Herculi scilicet illi, quem e Nilo natum Cicero (de N. D. III. 16) perhibuit, quum sæpius Nili nomine Jovem Ammonem insignitum inveniamus. An, quemadmodum apud Ægyptios, Herculem et Vulcanum, sub decora specie, fere consimiles (2) et cultu et attributis videmus, agnoscendus etiam Vulcanus, vir deformis cum deformi Hercule congruens (3)? Hæc peritioribus relinquo.

Cæterum, si de nomine provectioris homunculi non constat, aliter de partibus quas, in mythologia agere debet, statuendum. Memini in templo Talmidis Nubiensi, Mercurio Ægyptio dicato, turpe istud μορμολυκεῖον lyram Lesbiam, ut Sapphonem deceret, temperantem vidisse (4): hoc lustrato, nemo non Pythagoricam sphærarum cœlestium harmoniam recordabitur. Ecce iterum ille noster assurgit, in sigillo cretaceo, ex Ægypto advecto, quod in cimelio Bibliothecæ Regiæ jamdudum miratus sum (5), quanquam usum patulæ sphragidis istius non intelligo: plura ejusdem generis Ægyptiaca antiquitas habet, quorum ratio plane nos effugit. Monumentum ad calcem operis imprimendum curavi.

Jam Talmidis lyricen χορευτὴς incompositus evadit: ebrium credas, si racemos adverteris, qui capiti salientis imminent; nec abs re Bacchi fructus apud Ægyptiorum *Cantharum*. Cæ-

(1) Damascius, *Quæst. de prim. princ.* cap. 125, p. 385. Ed. Kopp.

(2) Cf. inprimis *Pantheonis Æg.* (Champollionis silicet) Tab. XIV et VIII.

(3) Hesychius, v. Γιγνῶν, οἱ δὲ Γιγῶν, Πάταικος — οἱ δὲ, Αἰγύπτιον Ἡρακλέα. Nempe, si de *Patæco* recte, ut censemus, Scaliger statuit (v. *supra* p. 17, n. 3), Hercules Ægyptius, idem ac Ægyptius Vulcanus, sub Pygmæi specie, exstitit.

(4) Gau, *Voyage en Nubie*, pl. 32; *Musée des Ant. Egypt.* Pl. II, N° 12.

(5) Caylus, *Recueil d'Ant.* Tom III, pl. 4.

terum nil huicce singulari monumento deest, nec lyra Lesbiæ similis, ab illa, quam Talmidis pictura præbet, non diversa, nec amphora etiam, cujus propositum deprehendere non posses, nisi plane cum testa Puteolani figuli conveniret. Migravit igitur ad Græcos, Alexandrinos saltem, Ægyptiaca de protoplaste figulo fabula. Plura autem adhuc, quæ viam ex Ægypto ad Græciam, tenui vix filo munitam, patefactura sint, recte materiam scrutantibus, inventum iri, minime dubito.

